

Band II., Nr. 347, Seite 78-79

Bischof Heinrich von Regensburg erteilt der Kirche in Öhringen das Recht, in deren Nähe gelegene bischöfliche Lehengüter von seinen Ministerialen zu erwerben.

Ohne Ortsangabe, 1154.

Heynricus, dei gratia sancte Ratisponensis ecclesie minister humilis, Vdalrico decano Horengöensis ecclesie eiusue fratribus, tam futuris quam presetibus in perpetuum. Officii nostri dignitas et ratio hoc expostulat, ut fratres, qui ad dispensationem nobis a deo creditam spectant, honoremus, diligamus et brachia caritatis et benivolencie pro possibilitate nostra eis porrigamus. Quapropter, dilecti in domino fratres, petitionibus domini Gotfridi, prepositi vestri et fidelis nostri, pro remedio anime mee et predecessorum meorum volumus annuere, quatenus, temporalia nostra vobis communicantes, fructus eternitatis vestris orationibus possimus recipere. Statuimus igitur, ut si qui ministerialium nostre sedis absque heredibus decesserint, vel proprietatibus renunciaverint, beneficia eorum, quibus ab episcopatu infeodati sunt, si bonis vestris contigua vel vicina vel conprovincialia fuerint, vestro mancipentur servicio, vestris usibus de cetero profutura. Preterea si quis ministerialium, quacunq̄ue benivolencia vel gratia inclinatus, beneficia sua qualia diximus voluerit dimittere et ad usum vestrum transferre, nostre concessionis auctoritate potestatem habeat dimittendi, et vos recipiendi et ad servicium vestrum redigendi. Quicumque autem huius nostre constitutionis paginam temerare presumerit, secundo tertiove commonitus nisi resipuerit, reum se divino iudicio existere cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine dei et domini nostri ac redemptoris Ihesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine divine ulcioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Ihesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniunt. Huius nostre concessionis testes sunt: Wernher prepositus, Bernhart custos, Rödiger archipresbyter, Dietmar plebanus, Heinrich Schatzverliese, Herman, Heinrich capellanus, Eberhartt, Berchtolt de Chambe, Berchtolt de Sintzingen, Regilo camerarius, Heinrich comes de Wolfrathusen, Fridrich comes de civitate Walchden. Sororius domini episcopi, Pabo de Lollingen¹. De ministerialibus Ratisponensis ecclesie: Vdalricus vicedominus, Hartvvich de Simchingen, Hartvvich Chroph, Otto de Smalna². Factum est autem anno millesimo centesimo LIIII., indictione II., regnante rege Friderico.

¹Vielleicht Lalling, DEG.

²Vielleicht Schmalnohe, Edelsfeld, AS.

Nach einem von dem Abt Johannes im Schottenkloster zu Regensburg im Jahr 1472 ausgestellten, mit dem anhängenden Siegel des Abts versehenen Vidimus der Urkunde.

Im Vidimus wird bemerkt, dass dem Original das runde bischöfliche Wachssiegel aufgedrückt gewesen sei, von dem es weiter heißt: *In cuius medio ymago antiquissima, sedens in sede pastoralis, habens in manu sua dextra baculum pastorem, in sinistra autem extensa librum clausum, induta vestimento sacerdotali cum manipulo manu dextra appendente. In circumferentia autem interiori continebantur quedam antiquissime litere incipientes in capite ymaginis in talem formam: primo cum quadam cruce et tandem aliqua litterae, que propter eius vetustatem perfecte videri et legi non poterant. In fine tamen eiusdem circumferentie he littere et scripture apparebant: Ratispon. Episcopus. In alia autem circumferentia exteriori sublevata penitus nihil sculptum videbatur impressum.*

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HZA Neuenstein

Signatur/Titel des Originals:

GA 10 Schubl. 2 Nr. 3 in Abschrift von 1472

Überlieferung und Textkritik:

Original; ehemals im Fürstlich Hohenlohischen Archiv zu Öhringen

Editionen:

Wibel: Hohenlohische Kirchenhistorie, Bd. 2, Codex Diplomaticus, S. 24, Nr. 13.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Ortsindex:

Cham, CHA

Lalling, DEG

Regensburg, R

Schmalnohe, Edelsfeld, AS

Sinzing, R

Sünching, R

Walchstadt, Icking, TÖL

Wolfratshausen, TÖL

Öhringen Wohnplatz (2576)

Öhringen, KÜN